DECANVS

COLLEGII MEDICI

IN

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

PETRVS GERIKE

SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS CONSILIARIVS AVLICVS ET ARCHIATER THEORIAE ET MATERIAE MEDICAE AC CHYMIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS ET ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM ET LITTERARVM HVMANIORVM BEROLINENSIS SODALIS

PROPEMPTICO

DE

GYMNASTICAE MEDICAE VETERIS

INVENTORIBVS

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

VIRI

DOCTISSIMI AC CLARISSIMI

FRIDERICI BOERNERI

LIPSIENSIS

INVITAT.



Q. D. B. V.



Vt rerum factarum omnium, ita etiam disciplinarum & artium admodum tenuia ſunt principia, & obſcuri natales. Quod de Democriti ac Epicuri atomis, inuiſibilibus, & vnde nomen acceperunt, inſectilibus narratur, prodiiſſe ex illarum congreſſu ac coalitu paulatim in conſpectum corpuſcula aegre conſpicienda, mox ſemper maiora, donec maxima quaeque ſui generis & certis nominibus inter ſe inuicem diſtincta iis varie conglomeratis abſoluerentur: in eum modum diſciplinarum & artium principia prima, & quae ex his paulatim oriuntur, quaſi diſtracta vel oculis ſe ab

 ini-

initio ſubtrahunt, vel non animaduertuntur, donec ab aliis obſeruata & collecta quaſi flocculos conſtituant, & vlterius ac cum cura aliqua tractata maiorem iuſtamque aliquam formam acquirant. Factum hinc eſt, vt multarum rerum, diſciplinarum & artium inuentores primi in obſcuro manſerit, plurimarum diuerſi autores adhuc celebrentur & olim celebrati ſint, aliarum fruſtra adhuc quaerantur. Accedit huc, in deſignandis quidem inuentoribus antiquis, quod plurima veteris aeui monumenta paulatim interierint, alia forte adhuc quaedam, vel multa, tenebris ſepulta iaceant. Sunt aliae adhuc plures cauſae, noſtris etiam temporibus haud difficulter animaduertendae, quibus contingere potuit, vt ad hos potiſſimum, vel falſo inuenti alicuius gloria delata, illis inique detracta ſit. Exemplum ſumamus ab arte noſtra, qualis ea olim fuit, medica, & quidem curatiua, quam ſalubri longe antiquiorem eſſe dicunt, &, ſi inuentionis ac culturae habeatur ratio, vere dicere licet. Eius ergo ante diluuium longo tempore non modo ſemina quaedam, ſed nec contemnendum habitum extitiſſe, nullum mihi dubium videtur. Quae enim de vitae temperantia non eius modo aeui, ſed poſt diluuium multis aetatibus, paſſim apud autores narrantur, & Medicinae antiquiſſimis temporibus vtilitati, neceſſitati ac exiſtentiae opponuntur, ſuauia mihi ſemper viſa ſunt ſomnia, ex aureo Poëtarum ſeculo deriuata, quaeque nec cum expoſitione Moſaica, & duro tandem diluuii remedio adhibendo, neque cum profanorum hominum narrationibus ceteris recte conſiſtere queunt: niſi quis

for-

forte sibi persuadere velit, omnes tum e Sethi, tum e Caini prosapia ad eos annos peruenisse, quos vtriusque lineae Patriarchae attigerunt, idque temperantiae & perpetuae hinc effectae sanitatis argumentum arbitretur. Sed primos quidem & omnes medicinae ante diluuium autores hoc cum arte sua in perpetuum profundissime submersit. A diluuio varii ab autoribus in variis nationibus & diuersis temporibus Medicinae inuentores celebrantur: quos quidem singulos plus minusue ad artem hanc aliquando effigiandam contulisse, probabile est: ipsam tamen post seculorum demum XIX. interuallum a diluuio, & XXXVI. fere seculo a condito orbe, secundum computum vulgarem, quem vero tempora illa minus coarctare puto, in eam formam redegit HIPPOCRATES, itaque locupletauit, vt huic vnico Medicinae inuentio praecipua quadam ratione tantum non communi consensu attributa sit, & recte tribuenda videatur; cum & integram artem complexus sit, & in systema quoddam compaginauerit, cuius adhuc fundamenta subsistunt, etsi ea omne aedificium nunc non sustentent.

Simile curatiuae, sed hac longe benignius & inter media gaudia nascendi fatum habuit Gymnastica; quae in genere si consideretur, ars est humani corporis motus voluntarios ad certos fines & vsus, sed quos nulla exigit necessitas, varie dirigendi; quaeque a diuersa hac destinatione trifariam olim diuisa fuit, in athleticam, militarem, vel potius aemulam militarium exercitationum dicendam, & medicam. Non idem prorsus de cuiusque harum partium ori-

 gine

gine omnes ſtatuunt, & Mercurialis, Medicus antiquarum rerum peritiſſimus, qui de arte Gymnaſtica omni pereruditum commentarium compoſuit, contra Galenum ex Homero docet, eo, quod milites Graeci, dum a militiae laboribus iis vacaret, diſco, lucta, curſu, aliis, ſeſe exercuerint belli Troiani tempore, iam artis eius ſemina quaedam iacta fuiſſe, quaſique primordia eluxiſſe. (*) Quamuis ille natales eius altius repetere potuiſſet, ſi non modo, quod Galenus concedit, cunctos homines ad muſicam & gymnaſticam propenſos naſci, cogitaſſet, ſed etiam quousque propenſio ea homines fere omnes a pueritia ferat, quotidiana experientia, vt arbitror, edoctus in hac controuerſia aeſtimare voluiſſet. Quae enim in Gymnaſiis olim inſtituebantur exercitationum genera tantum non omnia, quaeque Mercurialis ordine & ample recenſet, eiusmodi ſunt, vt vbiuis terrarum, vbi puerorum coetus aliquis congregatur, plus minusue peragi, facile obſeruari queat, & probabile fiat, ſine memoranda quadam inſtitutione & ſine libro ea plerumque ſuſcipi: etſi antecedentem gregem in hoc etiam negotio fere ſequi poſteriores ſoleant. Quare ab Adami, certe a Caini poſteris plerisque multa eorum mox factitata eſſe, quae poſt ſeculorum aliquot decurſum in Gymnaſiis fiebant, etſi ab illis minus compoſite, nil eſt, quod dubitemus: acceſſiſſe vero prioribus tempore procedente imitamina eorum exercitiorum, quae in belli vſus varios & olim mature homines didicerunt. Culta ea omnia dein-

(*) MERCVRIAL. Lib. I. cap. 5.

deinceps femper magis funt pro puerorum & iuuenum ingenio, alacritate, induftria, experientia acquifita, & reliquo otio. Sed vix arbitror, digna ea fcriptores alicuius nominis tum reperiffe, quae commentariis fuis illuftrarent: quod fieri coepit ab eo tempore, quo puerorum illae pleraeque occupationes virorum & integrarum nationum negotia effe, & inter maximae ardua haberi coeperunt; vt tandem etiam Romanorum grauitas, Graecorum vanitatem, quam multum antea irriferat, imitata, illa ludosque alios partem negotiorum publicorum & religionis fuae fere praecipuam conftituerit. Ex quibus etiam temporibus pretium operae & neceffum vifum, rerum harum exercitatiffimos ceu magiftros iis praeficere, qui alios easdem recte edocerant, curarentque, vt omnia, vbi folemnia primum Graecia, deinceps S. P. Q. R. infaniebat, ratione aliqua cohaerentia & ad certum quondam ordinem peragerentur. Hi, cum agendum aliud plerumque non haberent, artem eam poftea ita amplificarunt inuentis fubinde nouis, vt inter operofiffimas referri poffet, nec parum in palaeftra ftudii ponendum ei effet, qui pentathli modo victoriam fperare vellet. Fuit autem ab initio ftatim facile obferuare, quod corpora iis exercitationibus, fi debite inftituantur, robuftiora fieri & vires acquirere maiores poffint, vel, fi fagina accederet, habitum eius auctiorem, pleniorem & firmiorem reddi. Quare nec dubium effe poteft, ad hunc finem obtinendum, qui deinceps gymnafticae proximus & fere praecipuus fuit, mox etiam illas exercitationes directas fuiffe, quas naturalis primum

in-

inſtinctus, voluptas & temporis fallendi ſtudium generauerant. Et haec quidem athleticae, ſeu gymnaſticae, quam ob malos vſus, variaque paulatim admixta vitia, vitioſam Galenus vocat, origo, hi progreſſus fuerunt. De bellica Gymnaſtica ſeorſim nunc non dicam, cum ab inſtituto noſtro magis haec aliena, ceterum vero dubium ſit, an ea notabilem in bello vſum habuerit, & ſatis conſtet, plerasque exercitationes, quae in bello vſui eſſe queunt, extra gymnaſia, vel vbi eorum nulla erant, vti olim Romae, & in reliquo Latio, a militiae praefectis & ducibus ordinatas fuiſſe.

Pergamus itaque tandem ad Gymnaſticam medicam, quae noſtrae potiſſimum arenae eſt, & de cuius inuentione inter Medicos maxime diſputatur. Tribui autem eius inuenti gloria a plerisque nunc ſolet HERODICO, quem Gorgiae, Sophiſtae celebris, fratrem faciunt, SELYBRIANO. (*) Anſam id ſtatuendi dedit Plato hac narratione. (**) *Herodicus autem, cum eſſet exercitandorum magiſter iuuenum, eſſetque valetudinarius, miſcens gymnaſticam medicinae, primo ſe omnium, deinde & poſteros multos taedio affecit.* Hoc etiam plus verbis proxime praecedentibus dicere, & medicinae clinicae inuentionem ei adſcribere videtur, quando, *hac*, inquit, *noſtra medicinaria facultate, morborum pediſſequa, Æſculapii ſectatores ante Herodicum, vt fertur, minime ſunt vſi.* Quae

(*) Vid. DAN. LE CLERC Hiſtoir. de la Medecine. Part. I. Liu. 2. Chap. 8. & MERCVRIAL. de arte gymnaſt. cap. I.
(**) PLATO de republica. Lib. 3. p. 326. Verſion. Marſilii Ficini.

Quae tamen duplex posterior assertio extra controuersiam est falsa. Sed de ea re nunc non agitur. Quod ergo ad artem gymnasticam medicam attinet, idem indicare Galenus videri queat, quando scribit, (*) illam paulo ante Platonem exortam esse. Circa enim tempus illud vixit Herodicus. Agitasse vero hunc simile quid in Medicina, ex Hippocrate constat, memorante alicubi, (**) Herodicum febrientes interfecisse circuitibus, luctis, multis fomentis: si modo nullum esset dubium, Selybrianum hic ab Hippocrate intelligi. Quod ne nullum putetur, Galenus facit, quando ad hunc locum commentatus ait: quem autem nunc Prodicum memoret, Leontium, an Selybrianum, quaerere, superuacuum est. Vt adeo inde pateat primo quidem, eundem, quem Herodicum Hippocrates vocat, a Galeno Prodicum appellari; tum vero, duo circa ea tempora ex Galeni sententia floruisse, Prodici, vel potius Herodici nomine notos: quos ambo etiam iisdem locis natalibus, quae Galenus nominat, distinctos, Plato allegat. Cum Herodico inuentionis huius gloriam communicandam putat Dan. Clericus ICCO TARENTINO, allegatque proinde locum quendam Platonis, (***) vbi Philosophus hic fecisse idem ei videtur. In quo viri doctissimi & perspicacis attentionem desidero, cum Plato ibi de re prorsus alia loquatur. Verba eius,

 quae

(*) GALENVS in arte tuendi sanitatem &c. ad Thrasybulum. c. 33.
(**) de Morbis epidemiis. Lib. VI. Sect. 3.
(***) Vid. Ei. Protagoras. p. m. 135.

quae ceterum ob alias rationes notari merentur, haec ſunt: *audiui praeterea, nonnullos eam artem* (de Sophiſtica agit) *appellaſſe gymnaſticam, quod* ICCVS TARENTINVS *feciſſe videtur, & qui adhuc ſupereſt, ſophiſta nullo inferior,* SELYBRIANVS HERODICVS. —*Alii ſub muſicae artis velamine ſophiſticam facultatem occuluerunt. Hi omnes, ſicut dictum eſt, & ob deuitandam inuidiam, vehementer nomen diſſimularunt, & ſub artium aliarum praetextu ſophiſticam artem occuluerunt.* Fuit vero hic Iccus victor pentathli & optimus Gymnaſtes, (*) temperantia ſua tempore certaminis adhibita clarus (**) circa Olympiad. 77. adeoque aetate paulo maior Herodico, coaeuo Hippocratis, qui demum natus eſt Olymp. 80. anno 1. An vero etiam, cum quo elogio ab aliis allegatur, Medicus fuerit, deinceps videbimus: quamuis ad noſtram rem minus interſit, an Medicus vocari debeat, quam Herodicus; cum nullo certo indicio conſtet, Gymnaſticam medicam eum ratione vlla attigiſſe.

Vt iam nunc de huius inuentione & inuentoribus eo rectius ſtatui queat, diſpiciendum ante accuratius eſt, quid eo nomine intelligatur, & qualem quantamque Medicinae partem eadem conſtituat. Explicat nobis haec omnia optime Galenus in libro, quem ſupra citaui, ad Thraſybulum, vnde pauca huc transferre, e re noſtra erit. Deſcribit ergo is *Gymnaſticam*, quod *ſit facultatum in exercitationibus poſi-*

(*) Vid. PAVSANIAS in Eliacis part. 2.

(**) AELIANVS variar. hiſtor. Lib. XI. cap. 3. PLATO de legibus Lib. VIII. p. 487.

positarum scientia; seu, quam vim exercitationes ad mutandum corpus humanum habeant; vel, si ad vsum eius, qui frequentissimus erat, respiciamus, ad mutandum corporis habitum & vires. Gymnasticam autem medicam secundum ea, quae libro hoc & alibi disputat, ita definire licet, quod sit facultatum in exercitationibus positarum, ad sanitatem conseruandam & augendam, scientia. Nimirum, vt antea iam ostendi, Gymnasticae illius, quae in omnibus Gymnasiis exercebatur, finis proximus, (nam plures alii erant, vt voluptas, placendi, plausus & brabea obtinendi, Deosque venerandi studium) ad corpus referebatur, ita, vt instituendis exercitationibus illius habitus magnus, firmus, viriumque in exercendis motibus voluntariis incrementum quaereretur: medicae vero Gymnasticae finis erat sanitas, virium in omnibus functionibus incrementum & habitus etiam externus corporis bonus; quatenus augmentum illud & habitus hic cum bona valetudine consistere queunt; cum qua non semper recte concordant. Fuit ergo Gymnastica medica pars salubris, seu Hygieines. Neque vero etiam aegri exercitationibus validis, quales in gymnasiis potissimum instituebantur, valde idonei sunt, nec illarum causa eo saepe confugiebant. Cum autem salubris secundum auxiliorum materias, quae res nonnaturales vulgo dicuntur, a Galeno in quatuor partes apte distribuatur, quarum prima nimirum in assumtis; altera in iis, quae fiunt; tertia in his, quae euacuantur; & quarta in rebus, quae forinsecus accedunt, versatur:

Gymnaſtica vero medica ea maxime tractet, quae fiunt, ſed non omnia, verum voluntarios tantum motus, ad vitam ſuſtentandam non neceſſarios: manifeſtum eſt, quod Galenus inde recte concludit, valde exiguam ſalubris particulam conſtituere eam Gymnaſticam; quamuis illa minime contemnenda proinde ſit, nec vſu egregio deſtituatur. Quare autem PLATO ſub Gymnaſticae vocabulo vniuerſam Hygieinen comprehenderit, & Medecinam hinc omnem in curatricem & gymnaſticam diſtinxerit, rationes videre licet apud Galenum, libro allegato capite 38. & 39. Pertinebant ergo ad Gymnaſticam medicam, vel eius auxilia, omnium motuum & exercitationum genera, quae a pueris & iuuenibus olim inventa & paulatim elegantius exculta, in Gymnaſiis poſtea a paedotribis docebantur. Arbitror autem ad intelligendum perquam facile eſſe, olim pueros, vel iuuenes, certe eorum parentes & magiſtros, ad illorum certamina & reliqua corporis exercitia cum ratione aliqua attendentes, haud difficili opera animaduertiſſe, quod iis inſtitutis ſanitatis ratio varie conſeruari, augeri & minui queat; inque ea re aeſtimanda ruſticis ſaltim noſtrorum temporum, & his quidem paulo emunctiorum narium, illos minime fuiſſe hebetiores; ſed mature & ſubinde non contemnenda ſanitatis & virium tuendarum praecepta ex obſeruatis ſuis deduxiſſe.

Ex his ergo quaſi atomis flocculi, & hi paulatim maiores facti conſtituendo iuſtae alicuius magnitudinis corpori, ſeu conſpiciendae arti gymnaſticae plurimam

rimam materiam ſuppeditarunt. Quo mihi minus mirabile videtur, quod de AESCVLAPIO memorat Galenus, (*) ad ciendos vehementiores animoſae partis motus, corporisque temperamentum iuſto calidius efficiendum, aliis cantilenas & mimos ridicularum rerum, aliis vero venari, equitare, atque armatos exerceri praecepiſſe, iisdemque motuum ipſorum ſpeciem, vtique quibus motus iniunxit; tum armorum, quibus armatis exerceri praecepit, definiuiſſe. Non enim quo pacto excitetur erigaturque animoſa pars, cum imbecilla ſit, praecipere ſat eum habuiſſe, niſi etiam menſuram ab exercitationum idea definiret. Reliqua huc ſpectantia, loco in margine citato legi poſſunt, & merentur. Nec cauſam video, cur hoc Galeni teſtimonium ſuſpectum reddere, & ex adulandi Deum patrium affectu dictum velit Clericus (**). Apparet quoque inde ſimul, moxque clarius apparebit, diuerſum ab Herodico Aeſculapium ſibi propoſuiſſe ſcopum, animae ſcilicet robur, virium huius augmentum, temperamenti mutationem, & forte alias mentis emendationes: minime tamen interim, an omnem artem gymnaſticam, vel magnam eius partem complexus fuerit cum vehementiorum quorundam a Galeno tantum motuum mentio fiat. Docet porro idem Galenus (***) cum Platone, (*) antiquos Asclepiadas inte-

(*) GALENVS de tuenda ſanitate Lib. I. cap. 8.

(**) Hiſt. de la Med. Part. I. Liu. I. Chap. 14.

(***) GALENVS ad Thraſybulum cap. 33.

(*) PLATO de rep. Lib. 3. p. m. 326.

gra ea medicinae partae, quae diaetetica vocatur, non admodum esse vsos; additque tandem, quod antea iam allegaui, paulo ante PLATONIS tempora gymnasticam artem exortam, eodemque tempore athletarum exercitationem emersisse.

Anne igitur extra controuersiam poni debet, HERODICVM quem in ea tempora incidere ostendi, quique, vt Plato ait, gymnasticam medicinae miscuit, gymnasticae medicae fuisse autorem, hoc est, in formam eam notabilem reduxisse, vel amplissimis praeceptis auxisse, vel vtroque modo & singulari quodam eius studio id elogii mereri? Nam semina eius artis fructusque aliquos olim & passim disseminata fuisse, superius monstraui. Ita quidem perhibent, idque e Platone manifestum esse putant, qui instituti huius ab Herodico coepti duplicem occasionem alleget, nimirum quod & Gymnasio praefuerit, & valetudinarius fuerit, adeoque in hac sua arte sanitati suae praesidium quaesierit. Ad quas accedat, quod eum PLATO alibi Medicum appellat: (*) vt adeo binae eius professiones mutuas quasi manus inuicem praebuerint, ad partus eius exclusionem. (**) Quorum tamen omnium nil me mouet, vt Herodicum Gymnasticae medicae idoneum & verum autorem existimem: cum praesertim veterum Medicorum nullus, quod sciam, eo honore illum digne-

(*) PLATO in Gorgia p. m. 197.

(**) LE CLERC: il étoit Medecin, & de plus maitre d' vne Académie, où la Jeunesse venoit s' exercer, ce qui lui donna occasi on de faire entrer dans la Medecine la Gymnastique.

gnetur. Medicum eum fuisse ante qualemcunque inuentionem suam, quod ad rem magnopere pertinet, valde dubito: post illam repente talem prodiisse, vt hodieque vna alteraue curatione tentata contingere solet; non improbabile est. Quare etiam verba apud PLATONEM prolata, quibus Medicus appellatur, ironiam valde sapere mihi videntur; si modo quicquam ad Selymbrianum pertinent. Paedotriba hic cum fuerit, hoc est, exercitiorum in Gymnasio instituendorum doctor, obseruauit, illorum quaedam ad curandum corpus suum & aliorum conferre aliquid posse, vel ita iudicauit. In se itaque primum, mox in aliis experimenta fecit, infeliciter quidem vtrumque, vti ex Hippocrate intelleximus. Cum vero & Sophista esset, veri speciem haud levem habet, hac fiducia fretum eum ad praxin medicam vtramque exercendam, se accinxisse, & mundum suum mox reperisse. Quid ergo porro reperit, vel saltim agitauit? artem, vt ex allegatis testimoniis apparet, curandi morbos, aliquos, an multos? per exercitationes. Sed in hoc Gymnastica medica, praecipue certe, non consistit, neque ea ad curatiuam pertinet. Non ergo fuit Herodicus Gymnasticae medicae autor. Quisnam ergo, vel qui? Eos nobis recenset GALENVS, (**) nulla, quod nota-

(**) Selymbria, quod in Propontide Thraciae situm oppidum erat; oriundum Herodicum Gymnasticam medicinae miscuisse, PLVTARCHVS affirmat, citatis ceterum iisdem fere verbis, quae paulo ante ex PLATONIS libro tertio de rep. allegaui. Eum vero, quem PLATO in Gorgia Medicum dicit, Gorgiae fratrem vocat, qui Gorgias Leontinus e Sicilia erat. Conf. locus e Platone allegatus in Protagora supra p. 10.

notari meretur, Herodici, vel Prodici, iniecta mentione. *Legitimae*, inquit, *gymnasticae autores iam accersamus* HIPPOCRATEM, DIOCLEM, PRAXAGORAM, PHILOTIMVM, ERASISTRATVM *atque* HEROPHILVM, *& quicunque totam artem ad corpus pertinentem didicerunt*: & inferius capite 41. *verae autem & legitimae artis gymnasticae* HIPPOCRATES, *& nuper cum ipso enumeratus illustrium virorum coetus eius peritus est.* Est vero nunc horum antesignani nobis praecipue habenda ratio, tempore etiam prioris; qui vt omnem artem curatiuam in corpus quoddam ordine redegit, ita & salubri primus aliquam formam dedit, & locupletissime instruxit: ad quem proinde vniuersae Medicinae inuentio insigniori quadam ratione & jure optimo referri debet. Idem & partem salubris illam, quae motus voluntarios tractat, seu facultates horum ad tuendam sanitatem docet, eorum etiam quorundam, quae in Gymnasiis instituebantur, primus perspicue exposuit, & illi fini obtinendo magis, quam antea factum erat, accommodauit: quamuis nullum, quod Galenus etiam obseruauit, cum singulari Gymnasticae medicae, vel simili aliquo insignitum titulo librum conscripserit, deque illius a se omnium mortalium primo repertae gloria adeo parum sollicitus sit, vt leuem Gymnasticae mentionem in libris suis faciat. Vtut ergo non omnino nihil sit, quod hac ratione Medicinae paulo ante PLATONIS tempora adiecit HIPPOCRATES, parsque eius aliqua deriuata a palaestra: cum tamen artem inde quandam

fin-

ſingularem, & ſingulari nomine appellandam nec is, nec alii eius temporis effecerint, neque in libris, aut monumentis, quae adhuc extant, aliis, quidquam reperiatur, vnde colligere liceat, magni illius apparatus, quo Gymnaſia paulatim ſemper magis inſtruebantur, multum & ad certas regulas compoſitum vſum, ſanitatis tuendae cauſa, quod poſterioribus temporibus contigit, iam tum fuiſſe: vero non abſimile videtur, ea, quae de Gymnaſtica medica ante Platonis tempora inuenta, vel in artis formam redacta perhibentur, mera commenta eſſe. Leue, vt nunc apparet, eſt, ſed forte aliquibus minus recte facere videri poſſem, dimittens Hippocratem, noua ea qualicunque gloria auctum, nullo prius examine facto, annon eam forte Herodico ſurripuerit. (*) Aiunt enim, huius illum fuiſſe diſcipulum. Et quid porro? aut quo argumento? quia in palaeſtra vſitata quaedam exercitia tractat. Redimus, vti videtur, in circulum. Et num ſolus tunc repertus fuit Herodicus, qui palaeſtram aliquam dirigeret, vel palaeſtricarum artium vſum monſtraret? Nonne vt omnis generis homines, ipſosque Philoſophos eius & inſecuti temporis factitaſſe legimus, Hippocrates quoque ſe

 reli-

(*) Libros certe de diaeta tres, qui in Hippocratis operibus extant, & vbi de vſu exercitationum varia adducuntur, Herodico tribuendos eſſe, CLERICI coniectura eſt. Part. I. Liu. 3. Chap. 13. ſed nulla haec alio fundamento nixa, niſi quod is Gymnaſticae medicae inuentor, omni antiquitate conſentiente, habeatur; quem tamen conſenſum non reperi.

reliquae turbae immiſcere, cumque aliis ibi corpus ſuum excercere, quod poſtea Galenus etiam fecit, potuit, & inde propria mentis vi colligere, quid ex vſu foret rerum earum ad artem ſalubrem amplificandam? Sed Herodico ad eam rem perficiendam Praeceptore eum opus habuiſſe antiquis teſtimoniis non conſtat, nec vti quidem potuiſſe, iam oſtendi.

Reſtat, vt pauca adhuc de duplici profeſſione, qua tum ICCVS, tum ipſe HERODICVS celebratur, addam: cum opinionem illae confirmaſſe videntur, quaſi autoribus iis enata Gymnaſtica ſit medica. Vtrumque ergo primum Medicum vocant. Sed an, & quomodo conuenire hic titulus Herodico Selybriano poſſit, iam oſtendi. Iccum qui ſic appellant, ſcriptores nimis ſunt recentes, quam vt perhibere de ea re teſtimonium valeat: etſi fieri potuerit, vt vulgari & latiſſima ſignificatione id nominis meruerit. Vtrunque porro Gymnaſii exercitiis praefuiſſe, certius conſtat, ſed vti tituli eorum docent, diuerſa ratione. Iccum enim optimum Gymnaſten vocat Pauſanias, Herodicum vero Plato Paedotribam. (*) Gymnaſten magiſtrum omnium exercitationem extitiſſe, earum vires ac potentias ad ſanitatem conducentes callentem, exſtimat Mercurialis, (**) autoritate Galeni fretus, cuius de tuenda ſanitate libri ſecundi caput XI. allegat: ſed fruſtra. Aſſerit enim Galenus quidem, Gymnaſten virtutis ſingulorum motuum ſcien-

(*) Loca ſupra p. 8. & 10. allegaui.
(**) Lib. I. cap. 12.

ſcientiam habere, ſed ad ſanitatem eos referre ſcire, non addit; ſed in hoc potius ſcientiam eius finiri, vt dicere poſſit, qui motus corpus gracile, muſculoſum, durum, compactum, praeterea vegetum reddant, vel qui horum contraria efficiant. Hoc paedotribam adhuc inferiorem facit, paedotriba, inquiens, quoque quicquid in palaeſtra motuum geritur, pernouit: quid quisque motus efficere queat, ignorat; & ſub allegati capitis finem: quod igitur paulo ante diximus, paedotribam eſſe gymnaſtae miniſtrum, vt medici coquum, id nunc quoque oſtenſum eſt. Idem ex Ariſtotele (*) diſcere licet, ita referente: adoleſcentes gymnaſticae & paedotribicae tradendi ſunt: quarum altera aliquam facit habitudinem corporis, altera operationes. Vt alia nunc, breuitatis cauſa, teſtimonia omittam: cum ex his, quae allegaui, ſatis conſtet, nil illis quidem temporibus Gymnaſtae, multo autem minus Paedotribae cum Medicina commune fuiſſe, vel ſaltim non plus, quam coquo. Inſecutis vero temporibus vtriusque illius generis homines, ad Herodici exemplum, gymnaſticam & paedotribicam medicinae magis ac magis miſcuiſſe, ita vt Hippocratem etiam corrigere quidem auſi ſint in libris, quos de artibus ſuis conſcripſerunt, Galenus non vno loco cum faſtidio obſeruauit.

Occaſionem huic commentationi dedit VIR DOCTISSIMVS, cuius in titulo Inauguralem Diſſer-

(*) Politic. Lib. 8. cap. 3.

tationem indico. Cum enim Is mihi nuper significaret, in animo ſibi eſſe, honores in Medicina ſummos in hac Academia capeſſere, deque arte Gymnaſtica noua Diſſertationem ſe conſcribere, quam Inauguralis ſpeciminis loco Eruditorum publico examini ſubiicere vellet, rogans, vt Programmate aliquo illam comitarer: conueniens mihi ſtatim ſelecto argumentum ſcriptionis viſum fuit, de Gymnaſticae medicae veteris inuentione & inuentoribus pauca quaedam diſſerere, cum praeſertim olim, quando Medicinae hiſtoriam alios docebam, aliqua de hac materia ab autoribus tradita, vlteriori examine digna iudicarem. Quibus ergo praemiſſis reliquum eſt, vt Candidati noſtri, Viri Doctiſſimi Clariſſimique, FRIDERICI BOERNERI, Lipſienſis, natales, quos ſplendidos habuit, & vitae ſtudiorumque rationem, quam tenuit, breui vitae curriculo iisdem prorſus verbis, quibus a ſe illud conſcriptum mihi exhibuit, nunc proponam:

Ego FRIDERICVS BOERNER, lucem primum aſpexi *Lipſiae*, die XVII. Iunii. A. MDCCXXIII. Patrem veneror ſexagenarium & vltra, quemque diu adhuc ſaluum eſſe iubeat Deus O. M. CHRISTIANVM FRIDERICVM BOERNERVM, Sanctae Theologiae Doctorem eiusdemque in Academia patria Profeſſorem Primarium, Eccleſiae cathedralis Miſenenſis Canonicum Cuſtodem, Conſiſtorii Lipſienſis Aſſeſſorem, Academiae Decemuirum & Seniorem, caet. Matrem vero colui DOROTHEAM SYBILLAM, GODOFREDI

GRAE-

GRAEVII, Confulis olim apud Lipfienfes filiam, vix mihi fexenni praematuro fato ereptam.

A teneris ftatim omnem in me tum educando, tum erudiendo optimi parentes nauarunt operam. Factum id eft tam in domo paterna fideliffimorum praeceptorum inftitutione, quam poftea GRIMAE, oppido prope Lipfiam, ob fcholam Prouincialem fatis claro, cura viri integerrimi, Dn. M. IO. GOTTL. CLEMENT, cuius fidei tradiderat me optimus Pater. A. MDCCXXXVII. autem, cum ftudiorum moderator, cuius ductu fideliffimo per quinquennium vfus fueram, vocaretur *Torgauiam* ad capeffendum munus in Lyceo ibi florente Subrectoris, hunc eo, iubente ita Patre amantiffimo, fecutus per triennium literis operam nauaui, nactus praeter CLEMENTEM, Viros, ob fingularem in rebus agendis fidem, nemini in patria ignotos, Dn. M. MICH. HENR. REINHARDVM, tunc Rectorem, iam coetus Belgrani facri Paftorem Primarium plurimum Reuerendum, & Dn. M. IO. FRIDER. SCHROEDERVM, Conrectorem. Edoctus ibi literas, quibus iuuenilis aetas impertiri debet, A. MDCCXXXIX. Lipfiam reuerfus, in album ftudioforum relatus fui fafces Acadedemiae tenente Viro Illuftri IO. CHRIST. GOTTSCHEDIO. Quo feliciores autem ftudiorum facerem progreffus, iuffu Parentis *Halam* adhuc adii *Salinam*, in Paedagogium, quod ibi floret, Regium me contuli, fideliffimaque hic optimorum virorum inftructione, in elegantioribus potiffimum literis vfus, tandem ad lares patrios redii. Hic vniuerfae

Philoſophiae ergo adii CRVSIVM, in oratoriae praeceptis & declamando pariter ac exercitiis diſputatoriis GOTTSCHEDIVM, & cum primum Theologiae me dicare animus eſſet, in lingua ſanctiori SANCKIVM, in Theologiae ipſius vero praeceptis Venerandum Patrem. Herbarum vero notitiam, quarum a teneris amator fui, accepi Duce Illuſtri A. W. PLAZIO. Habui etiam A. MDCCXLIII. die XXX. Octobr. ipſo reſtaurationis euangel. religionis anniuerſario ſacro in templo academico orationem ſolemnem, *de incrementis reſtauratae religionis euangelicae ex reſtauratione literarum*, quae variis annotationibus aucta lucem forſan videre poteſt.

Anno ſequenti MDCCXLIV. Lipſiam mutaui cum Leucorea, quae *Vitebergae* eſt, Prorectore Academiae Magnifico, Illuſtri WEIDLERO Mathematico celeberrimo, in numerum ciuium receptus. Mutata vero ſede, mutaui etiam animum, non tamen temere, ſed ſufficientibus rationibus commotus, & ex Theologorum caſtris ad Medicorum tranſii. Adii igitur Viros Magnificos Experientiſſimos, STENZELIVM in phyſiologia methodoque medendi; VATERVM in anatome, materia medica & botanica, cui incomparabili Anatomico etiam cadauer maſculinum ſecanti adſtiti; LANGGVTHIVM in chirurgia; & in Philoſophia Naturali Celeb. BOSIVM, quem beneuolum inprimis veneror Fautorem. Praeter hos, Celeberrimorum quoque Virorum ILLVSTRIS BERGERI, & HASSENII ſcholas frequentaui, *Huius* in noſcenda Lingua Anglica-

licana, *Illius* in hiſtoriarum monumentis explicandis, tam eis, quae antiqua ſpectant tempora quorumque documenta fouet Muſeum Regium Dreſenenſe; tam eis, quae circa eruditionis fata verſantur. Sic ſtudiis academicis ad finem perductis, vltimum idque nobiliſſimum artis noſtrae reſtabat caput. Interrupta igitur vita academica A. MDCCXLVI. *Brunſuigam* me contuli ductum & hoſpitium nactus Viri experientiſſimi & in arte ſua exercenda feliciſſimi. D. D. IO. IVL. SCHLAEGERI Collegii Medici Ducalis Aſſeſſoris digniſſimi, cui multum me debere profiteor. cum non eius ſolum ductu morbos noſſe & curare, verum & ipſius vices apud aegros ſaepe obtinere contigit. A. MDCCXLVII. cum SERENISSIMVS PRINCEPS, Collegium Medicum Brunſuigae adornaret, ipſo primo ſolennis conſeſſus die ſpecimen aliquod publici iuris feci, quo *de adoranda Dei Maieſtate ex mirabili narium ſtructura* differerem, quo factum vt ex clementiſſima Principis voluntate locum in Societate medica obtinerem. Praeterea etiam nuper *primam Biographiae Medicorum noſtro aeuo celebrium partem* diuulgaui, vnde praeſtantiſſimos Medicos per literas noſſe contigit, quod commercium maximopere mihi gratulor.

Ita ergo praeparatus & ornatus ad Facultatem noſtram, poſtquam prius inter ciues noſtros Academicos nomen ſuum profeſſus eſt, acceſſit, inque ſolitis examinibus ita ſe nobis exhibuit, vt non dubitemus, honores & priuilegia Doctoris medici Ei

con-

conferre. Quod cras fiet, habita Inaugurali Differtatione *de arte Gymnaſtica noua* ſub Praeſidio Viri Illuſtris, *Laurentii Heiſteri*, Academiae & Facultatis Noſtrae Senioris; vt publico hoc ſpecimine illam ſeque omnibus probet. Quem actum vt Magnificus Academiae Prorector, Ampliſſimus Senatus Academicus, Hoſpites & Ciues bonis litteris fauentes, praeſentia ſua ſplendidiorem reddere velint, Facultatis noſtrae nomine, obſeruanter & officioſe rogo.

P. P. die X V I. Maii. A. O. R.
cIↃ IↃCC XLVIII.

